15

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

ANGINA,

QUAM

DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

CORNELII VAN ECK,

J. U. D. & Civilis, atque Hodierni Juris
Profeſſoris Ordinarii;

NEC NON

*Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu, & Nobiliſſimæ
Facultatis MEDICÆ decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,

Publico Examini ſubjicit

JACOBUS à NOKKEN, Noviomag. Gelrus.

Ad diem 30. MARTII *loco horisque ſolitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex officina GUILIELMI vande WATER, Academiæ Typographi, cIↃ IↃ CC XVI.

NOBILISSIMIS GRAVISSIMISQUE

VIRIS.

D. D. JACOBO MEYER

Urbis Endovienſis Scabino atque Legato; ut & vectigalium, quæ pro navibus Præſidiariis ibidem ſolvuntur, Antigrapheo: Nec non eodem in loco Sacri miniſterii Hierophantæ, Avunculo ſuo dilectiſſimo, fideliſſimo, optimo; de me propter ſingularem animi paterni à tenera ætate affectum ac eximia in ſe collata ſemper beneficio, omni obſequio, amore & animo ad extremum uſque vitæ halitum grato, venerando ac proſequendo.

D. D. WILHELMO AVINCK

per annos quinque & triginta continuos Conſulari Urbis Berculoæ munere functo, ibidemque Legato ac Civium Præfecto &c. &c.

D. D. THEODORO CREMER

Sacri miniſterii Hierophantæ &c. Avunculis ſuis chariſſimis, omni honore, affectu ac obedientia ad Rogum uſque colendis.

UT ET

Viris Clariſſimis ac Celeberrimis.

D. D. JACOBO VALLAN,

Med. Dr. in hoc illuſtri Rheno-Trajectino Athenæo Praxeos & Inſtitutionum Profeſſori longe expertiſſimo, Practico famigeratiſſimo.

D. D. RODOLPHO LEUSDEN,
Med. & Phil. Dr. Medicinæ, Anatomes & Chirurgiæ Profeſſori dexterrimo, Practico ſolidiſſimo, Celeberrimo, Promotori ſuo indeſinenter venerando.

D. D. JOANNI CONRADO BARCHUSEN,
Med. Dr. Chymiæ Profeſſori extraordinario, Arcanorum naturæ ſcrutatori acutisſimo, Pyroſopho vigilantisſimo, ſubtilisſimo.

Studiorum ſuorum Fundatoribus indefesſis, fidelisſimis & benignisſimis, de ſe optime meritis, imo nunquam non grato animo remunerandis.

Haſce Studiorum ſuorum primitias, ea quæ par eſt Reverentia, in gratianimi Teſſeram, debitæque obſervantiæ ſymbolum

Vovet, dicat, conſecratque

JACOBUS à NOKKEN.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ANGINA.
PRÆFATIO.

Omnibus in rebus admiranda ſumma Dei poteſtas elucet; nihil enim in toto mundi circuitu continetur ex quo non maxima illius poteſtas innoteſcit, nihil quod non in ſummam admirationem abripiat quemlibet, divina ejus opera penitus inſpicientem. Nam ſi fabricam totius mundi, ejuſque ſtructuram conſideremus, ſi terræ, aquæ, aëris, ignis, aliarumque rerum mirabilem conſenſum, motum ac mutationem; ſi aſtra, ſtellas, aves, quadrupedes, piſces, vermes, arbores, herbas, aliorumque in mundo hoc creatorum, figuras, generationem, & vitam animadvertamus: quis quæſo adeo ſtupidus, adeo mentis impos eſſe poterit, qui ex illis omnibus omnipotentem ſummi Dei imminentiam, ac præclarum maximæ divinitatis ſplendorem non percipiat? qui non ſuccenſeat omnibus Atheis qui cuncta hæc à peculiari ſolius naturæ regimine ab æterno fieri, & in æternum ſic progreſſura arbitrantur, at-

que obſcuriſſimo ignorantiæ ſepulchro concluſi, in ipſa natura naturæ Auctorem & Rectorem non agnoſcant? Nos vero, queis meliori luto finxit præcordii Plaſtes, ſummum Deum in operibus ſuis ac Creaturis omnibus, & omnium maxime in nobis ipſis agnoſcimus, cum in uno homine totius Mundi miracula, tanquam in epitomen, congeſta videamus, cum nihil ſit in Macrocoſmo, quod non inveniatur in Microcoſmo; cumque ſuper hæc omnia etiam igniculus cæleſtis, anima immortalis, divinæ particula auræ, in eo habitet, quæ illius divinitatis participem, ad Deum quam proxime accedere, & à Deo procedere docet. Unde etiam animal admirandum, Deo ſimillimum, & totius Mundi exemplar, à ſapientiſſimis Ægyptiorum Sacerdotibus eum appellatum fuiſſe, prodidit Antiquitas; utpote cujus divinitatem, cum ſplendida faciei impreſſa veſtigia, tum corporis totius figura pulcherrima, mirabilis, erecta, & in cælum verſa, teſtantur. ſed eheu! quot non ſunt periculorum agmina, quæ hujus Hominis admirandam corporis ſtructuram ac harmoniam deturbent & ei interitum minentur; mox enim fatalem in nubem horrendæ tempeſtates coëunt, contractoque fulgure & fulmine in grave bellum exaſperantur; ut cuncta quaſi elementa in eum barbara quadam inhumanitate irruere diceres. Cum enim vix primus torrentis impetus prorumpat, jam ſequens procellarum poteſtas in eum devolvitur, terra fatiſcit. Congenitæ rupes diſſiliunt. Sibilat aër. Furit æther & ignis. Ne Homo ſtet infractus, totus, quem luſtras, Creaturarum complexus Homini inſidiatur; imo nec Homini Homo parcit. Jactantur convitia. Volvuntur calumniæ. naſcitur diſcordia. Invidet furor. Æſtuant tormenta bellica. Rutilant chalybis arma. Flagrant ferales machinæ. Tonat pulvis nitratus; Hinc metus & tædium. Hinc furor & angor. Hinc pallor & amor. Hinc morborum clades & Hominum interitus. O miſera Mortalium ſors! Attamen inter validiores

diores

diores hoſtes, qui ſtupendæ illi ſupremi Architecti Fabricæ ruinam intentant, merito cenſenda ANGINA venit; nam ſive repentinum impetum, ſive numeroſum, quo ſtipata eſt, enormium ſymptomatum ſatellitum reſpicias; undequaque ſeſe præbet formidoloſam. Virium robore pollentem invaſerit? Atrociorem init pugnam. Invalidum obſederit? ne mediocri quidem Medici induſtria ſummoveri poteſt. Hanc, idcirco, nihil, opinor, peccavero, ſi pro argumento publici ſpeciminis edendi conſtituero. Non deërit, ſpero, favor B. L. labori, quamvis minus perfecto & exaſciato.

THESIS I.

Verum enim vero in Morbi hujus, quem aggreſſurus ſum, Onomatologia (ne voluntarie contra Galenum peccaſſe videar, ubi inquit libr. 4. de loc. affect. Cap. 3. *Tum primum homines res ipſas neglexerunt, cum nimio ſtudio nomina quærere inciperent*) non multum morabor; quippe dilucidationem aliquatenus rei, neutiquam vero eſſentiam adfert.

Breviter itaque Anginam, quæ ab angendo Latine, Græce derivari dico ἀπο τῆς ἀγχονῆς, laqueo; vel, ut alii volunt, à verbo ἄγχω ſuffoco, ſtrangulo, quod reſpirationem vitæ hominis abſolutæ neceſſariam (quam neceſſitatem evincit Mors, eandem interceptam mox excipiens comitanſve, quando ſc. in ſtrangulatione aut ſuffocatione extrinſecus ſtringuuntur, vel intrinſecus opplentur Fauces) maxime infeſtat, imo aliquando ex toto intercipit.

Hoc modo nomen ſumptum, omnem faucium (qua reſpiratio aut deglutitio, vel utraque ſimul impeditur, nullo proprio vitio in muſculis Laryngis vel Pharyngis exiſtente) affectionem ſignificare videtur.

Ab aliis autem pro Laryngis inflammatione tantum Anginæ vox accipitur; verum priori, ut nimis lata, ſignificatione relicta, ac poſteriori, tanquam nimis ſtricta, miſſa quid per Anginam, utpote Thema noſtrum inaugurale, intelligendum volumus, diviſionem poſtquam illam Anginæ famoſam in Veram & Spuriam propoſuero, in medium proferam.

II. Dividere namque Anginam in *Legitimam* ſive *Veram* & *Spuriam*

ſeu *Notham*, Medicorum Principibus placuit; hæcque diviſio quam maximi, in Prognoſi ac Curatione, momenti exiſtit, cum Spuriæ curatio à veræ curatione toto cælo diſcrepet.

Hujus duæ ordinario, ab Authoribus ſpecies ponuntur; Una à *luxatione vertebræ colli*, *teſte Hipp.* 2. *Epid. Sect.* 2., *& Galen. de loc. affect. lib.* 4. *cap.* 3. Altera *à materiæ ſeroſæ ac pituitoſæ in glandulis Faucium collectione* orta; ſed quia ad noſtram Anginam veram ſc., quippe quæ Febre, Inflammatione, aliiſque ſymptomatibus, quibus Notha caret, comitatur, hæc non pertinent; ulteriori eorum examini ſuperſedebo.

III. Media itaque ſignificatione incedens, Anginam veram definio exiſtere Faucium cum reſpiratione, vel deglutitione, vel utraque difficili vel impedita, Febre continua ſatiſque acuta ac cæteris, quæ Inflammationem comitari ſolent, ſymptomatibus ſtipata, Inflammationem.

IV. Per fauces autem non tantum Oeſophagi ac Aſperæ Arteriæ, id eſt Gulæ Gutturiſque, nomine Pharyngis ac Laryngis, partes ſummas indigitari ſolitas, intelligo; verum etiam earum ſummitatum muſculos tum internos tum externos; quorum magnitudinem, numerum, ac nomina, nec non eorum inſertionem ſicco pede præteribimus, curioſumque hac in parte B. L. ad illos, qui ex profeſſo de illis ſcripſere, mittimus Anatomicos.

Inter partes affectas, hactenus enumeratas, nemini mirum videatur me, uti ab aliis Authoribus fieri ſolet, Tonſillas, Uvulam; Glanduláſque Palati non recenſuiſſe, cum, meo judicio, rectius ad Spuriam, tanquam partes affectæ, Anginam referantur.

Etenim Tonſillarum Inflammatio levis, non aliter ac aliarum partium eſt cenſenda; cum ſine Veræ Anginæ ſymptomatibus exiſtit.

Ad Uvulæ autem tumorem ſi quis ritè attendat, utplurimum à materia nimis viſcida ac tenaci ortum ducere, comperiet; adeoque Veræ Anginæ eſſentiam neutiquam ingredi.

V. Præmiſſa definitione ac perſpectis partibus affectis, antequam ad differentias pergam, quinam, præ cæteris, plerumque hoc morbo laborent, ac quo tempore anni utplurimum invadat, enodabo; hocque ut breviter fiat, Cl. Dni. Sydenham verba mea faciam: *quolibet* (inquit), *anni tempore aggreditur, maxime tamen illo, quod ver atque æſtatem interjacet; juvenes præ cæteris & temperamento ſanguineo præditos.*

VI. Anginæ itaque veræ differentiam recentiores, poſt Hippocratem, Græci (ille enim omnes affectus qui huic loco accedunt, ſi ſpirationem

rationem quoquomodo reddant deteriorem, nominavit κυνάγχας; cum nondum curæ eſſet Medicis, vel κυνάγχην vel συνάγχην; multo minus παρακυνάγχην vel παρασυνάγχην) quadruplicem ſtatuere, (ut ex Galeno 4. de loc. affect. cap. 3., Paulo Æginet. lib. 7. cap. 2., & Tralian. libr. 4. cap. 1. videre eſt)

Prima κυνάγχη exiſtit, illis ita dicta, quod, hoc morbo afflicti, canum more feſſorum, lingua extra os pendente, ſpiritum ducant, & magnum dolorem, cum ſuffocationis metu, nullo tumore extus aut intus (qui tamen adeſt, & ſæpe tam parvus, ut poſt mortem inveniatur tantum una aut altera puris guttula) conſpicuo, ſed inflammatione muſculorum interiorum gutturis, febreque ſatis acuta comitibus, ſentiant.

Altera eſt συνάγχη, eſtque affectus in quo, licet inflammatis Gulæ muſculis interioribus, ore aperto, tamen tumor ſe conſpiciendum præbet.

Παρακυνάγχη dicitur, quando cum faucibus interioribus una cervix afficiatur cum tumore, rubore & dolore.

Παρασυνάγχη eſt, in qua, compreſſis & coarctatis tumore externo faucibus atque inflammatis, ſolummodo cervix ejuſque muſculi, cum tumore, rubore & dolore, afficiantur.

Sed hæc nimis curioſa exiſtit differentia; ideoque, non immerito, à pluribus recentioribus rejicitur; quippe vix caſus datur ubi, inflammatis vel internis vel externis Pharyngis muſculis, cæteri ſc. Laryngis in conſenſum non trahantur, ac vice verſa; nemo hac de re inficias ibit credo, ſi mutuam ſympathiam illorum inter ſeſe, tum ob loci vicinitatem, tum ob vaſorum affinitatem, bene perſpexerit, quas ob cauſas non difficile conceptu exiſtit, quare impoſſibile fere ſit Medico, quamtumvis ſagaci ac perito, dignoſcere, quinam muſculi præciſe affecti ſint.

Itaque altera differentia magis mihi arridet, eſtque magis Practica, ubi alia introrſum, alia extrorſum, alia utrumque verſus tumere dicitur; juxta aph. Hipp. 37. ſect. 6., & 49. ſect. 7.

VII. Perſpectis ſic differentiis & iis, quæ circa eas conſideranda mihi ſuffecerunt, ratio ordinis expoſtulat, ut, quæ hujus morbi, inſtar cauſarum, non raro exiſtunt, enucleemus. Harum itaque, ut clara idea habeatur, non inutile fore exiſtimo, has, ſi duplices contemplemur, Proëgumenas ac Procatarcticas.

VIII. *Proëgumenam*, tanquam *proximam*, utpote quæ morbum per ſe facit & ſimul fovet, abſolvunt *Antecedens* & *Continens*.

Hanc dicimus eſſe ipſum ſanguinem in exilibus canaliculis & vaſculis ſtagnantem, vel inter tunicas vaſorum & muſculorum poroſitates effuſum, ibique hærentem ac obſtructionem, ſicque inflammationem, (uti poſtea explicabimus) efficientem.

Illam ponimus in ſanguinis, in Fauces per Arterias Carotides, impetuoſiore & copioſiore affluxu, quam ipſius, per venas jugulares, ad Cor refluxu.

IX. Cauſas Procatarcticas jam inveſtigemus, à quibus præfatæ natales ſuas ducere poſſunt; cumque hæ, ut *remotiores*, dupliciter effectum ſuum ſortiantur, vel externe, vel interne, non immerito à quibuſdam in *Prophaſes* & *Aphormais* diſpeſci ſolent.

X. Per *Prophaſes* autem intelligimus prævias, tum ſolidarum, tum fluidarum, tum utrarumque partium, diſpoſitiones, ad ſtagnationem, ſicque obſtructionem efficiendam, aptas.

Inter *ſolidas* autem mala viarum ac vaſorum ſanguineorum ſtructura locum habet; quatenus illæ nimium ſunt compreſſæ, conſtrictæ, vel alio modo vitiatæ, ſanguinis circulationem liberam per eas impedientes, quibus aliquando accedit partium muſculoſarum nimia extenſio ex diuturno clamore, vel alia cauſa externa, ita ut vaſa coarctentur & liberum humoribus non admittant motum.

Fluidorum vero vitia, quatenus *Proëgumenam cauſam* producere valent, minime levia ſunt æſtimanda, ac ut plurimum in ſanguinis quantitate, qualitate, vel motu ſita ſunt.

Quantitate ſanguis peccat, uti in Plethora, quæ oritur ab habitu corporis Athletico, vel ex naturali hæmorrhagia ſuppreſſa, uti eſt menſium aut hæmorrhoidum.

Qualitate vero, dum ſit nimis craſſus, viſcidus, vel bilioſus, acris &c.

Motu denique peccat, ſi nimis copioſe ac impetuoſe in Fauces influat.

XI. Per *Aphormais* vero intelligendum volumus illas cauſas, quæ *Prophaſi* primum impetum dant, ac ab immoderatione rerum N. N. fere petuntur, vitiaque dicta ſolidis ac fluidis inducere valent.

Sex rerum enim N. N. abuſus, quantum pro cauſa hujus *Procatarctica* poſſit contribuere, nemini non innoteſcat, in primis ubi *aërem* reſpicimus,

ſpicimus, patet ex Hipp. 6. Epidem. ſect. 7. *viris* (inquit) *vero multis fiebant*, *ex eo quia viri magis, quam fœminæ ſedentariæ, ut plurimum in publicum prodirent*; & quis neſcit ex malignitate aëris, quo, ne momento quidem, carere poſſumus, ſæpe *Anginas Epidemicas* exortas fuiſſe; cujus exemplum vide apud Foreſtum obſetvat. 2. libr. 6.

Neque neceſſe eſt, ut ad aërem, ſuis qualitatibus occultis vulgo dictis, malignum refugiamus, cum idem ſua caloris aut frigoris ſubita mutatione, uti & exceſſu, facillime Anginam producere poſſit.

Huc quoque faciunt *Anni tempeſtates*, uti *Ver* & *Autumnus*, quibus temporibus maxime Anginæ obnoxios eſſe Homines, teſtatur divinus ſenex Hipp. aph. 20. ſect. 3., uti & 22. ejuſdem ſectionis. quibus accedunt *pluvioſa Anni conſtitutio* & *imbres aſſidui*, ex Aph. 16. ſect. 3. *Ventus Aquilonius* & *Auſtrinus* ſuum locum hic etiam habent.

Cibus & *potus*, quantitate ac qualitate peccantes, quid poſſint, docent abunde gulæ proceres ac baccho dediti, aſſumpta venena, nimius calidorum alimentorum uſus, hauſtus potus frigidiſſimi.

Nimiæ vigiliæ multum hic etiam contribuunt.

Quid præterea *motus inordinati* præſtant, ex nimia immodica corporis exercitatione, uti ſaltatione & curſu nimio videre eſt; poſt quæ valida exercitia, ſi iſtius corporis ſudantis, capiteque detecto, vel collo denudato, rimæ januæ, aëris ventique injuriis, patulæ, fiat expoſitio; fiet Corporis à magno æſtu refrigeratio ſubita, atque adeo Anginam fieri neceſſe eſt.

Anſam quoque Anginæ præbere evacuationes ſolitas ſuppreſſas, inculcatum à nobis fuit Th. 10. Peccant enim tunc *retenta*, *quæ erant excernenda*.

Animi pathemata, uti omnibus morbis, ita etiam huic malum ſuum adferunt.

Inter *cauſas externas* annumerare quoque infixas in Faucibus ſpinas, minime obliviſcuntur Authores.

XII. Antequam nunc ſigna explicare diagnoſtica aggrediar; non injucundum fore duco, ſi primarum ex his cauſarum, quomodo Anginam producant, rationem addidero; ſed, ne actum continuo agere videar, duas tantum ex alligatis cauſis in medium proferam, ut ex iis intellectis cæterarum ratio non difficile hauriri queat; ac primo quomodo *ab æſtuantis aëris in ſubitum frigus mutatione*; dein quomodo à *Plethora* effectum inflammatio ſortiatur, delineare conabor.

Effectus

Effectus vitioſus autem primæ cauſæ, cum in requiſitis ad ſanguinis motum tum inteſtinum, tum progreſſivum continuandum ac conſervandum, deſtinatis, poſitus ſit; horumque reſpectu etiam in inordinato ac ſanguinis motu confuſo latitet, non abs re fore judicavi, hæc requiſita, ſi recenſuero, exque iis, quomodo ſanguinis Fermentationem naturalem abſolvant, explicuero; poſtea enim tunc melius B. L. ipſius motus defectus repræſentamen ſibi proponere poterit: ſecundum Axioma Philoſoph. *contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt.*

XIII. Primo itaque generalis Phyſicæ primordia, qui tantum primis labiis deguſtavit, ſugere minime poteſt, aërem variis, & quoad figuram, magnitudinem &c. particulis conſtantem, varieque inter ſeſe motis, ac terrena quæcunque corpora ambientem, intra poros ſuos, admodum diverſos, ex inæquali particularum ac molecularum ſuperficie fabrefactos, materiam æthercam ſeu ſubtilem includere, quæ ſua ſubtilitate cunctorum macrocoſmi corporum, non tantum interſtitia ac hiatus; verum microcoſmi partes omnes, tam ſolidas, quam fluidas ac humorales ſubit, implet, ac (uti mundum alter Oceanus) celerrime per poros tranſit.

Partes enim ſolidas (loquor nunc de vaſis ſanguineis) poroſas eſſe, à maſſa ſanguinea, per motum à centro ad circumferentiam, delatæ, ſubtiliores ac continuo ſecedentes particulæ abunde docent, ſubque nomine tranſpiramentorum inſenſibilium naturaliter veniunt.

Ad maſſam præterea ſanguineam ſi quis ulterius attendat, hanc minime ex homogenea materia conſtare; verum maxime heterogeneam exiſtere comperiet, reſpectu ſc. particularum componentium, quæ ſunt aqueæ præſertim, ſpirituoſæ, acidæ, ſalinæ, ſulphureæ, oleoſæ, terreæ, & ſexcentæ, juxta Hippocratem, aliæ; hæ omnes particulæ, magnitudine, figura, ac facultate diverſiſſimæ ſunt; attamen quam probam harmoniam ac perfectam craſin, in ſtatu naturali, conſtituentes; adeo ut aquoſis ſalinæ involvantur, oleaginoſæ ſuis hamulis acidas rite amplectantur, ac graviores terreſtriores, alias præcipitaturæ, à ſubtilioribus, volatilioribus, ac ſpirituoſioribus temperentur; hic humor nunc, tum ex ſe, tum admixtis in Pulmone particulis aëreis, adeo heterogeneus, atque hanc ob rationem, poris præpeditus & interſtitiis admodum diſcrepantibus, non niſi materia ſubtili replendis, conſtat.

Huic nunc, ob hanc inæqualitatem, liberum non concedit tranſitum, ſed hic illic continuo offendere facit ad prominentes & aſperas

particulas,

particulas, ſibi ubique in poris obvias, quæ haſce concutit vehementer & loco pellit, hæ iterum alias ac alias, atque ita vario hoc in curſu & reſilientia (juvante ad hoc tranſpiratione inſenſibilium particularum in aërem, premendo ſuorum loco rurſus ætheris particulas) notabilis fit humoris commotio intrinſeca, quam motum inteſtinum ſeu fermentationem ſanguinis vocamus.

Quamdiu itaque iſtius materiæ æthereæ copia adeſt, nullaque in heterogenea ſanguinis mixtura ſeceſſio facta fuerit, & pori proportionate aperti ſunt, ut per eos particulæ ſubtiliores à ſanguine amandentur, harumque locum iterum illæ, materiæ ſubtilis, repleant, ex voto ſanguinis motum inteſtinum peragi, neceſſe eſt; horum vero, ſi vitium reperiatur, eundem motum perturbari ac confundi, proxima Theſis docebit.

XIV. Cum vero calidioris aëris in frigidum ſubitá fiat mutatio, particulæ ejus primo flexiles ac mobiles, ſeſeque facile in poros inſinuare aptæ, nunc rigidæ magis, reſiſtentes ac minus mobiles factæ ſunt, materiæque æthereæ, hanc ob rationem, per eas transfluxus magis præpeditus exiſtit; hinc aër, ſuam ob ramoſitatem rigiditatemque, vaſorum poros non perfluit, aſt in illis hæret ac obſtructionem, aliamque diſpoſitionem, tranſpiramenta inſenſibilia, per vaſorum poros & corporis habitum, circa Fauces exhalantia, maxime offendentem, parit; quo fit ut materia ætherea, obſtructis hiſce poris, occurrens, ſolita, motu ſuo velociſſimo ac rectilineo, & mediantibus particulis ſanguinis heterogeneis fermentantibus, hanc viam patulam ſervare, in motum circularem terminetur, ac verſus latera reflectatur; hinc coacta eſt in ſanguinis, optime alias conjunctas, iterum reſilire particulas, ac è ſitu ſuo naturali quaſdam commovere, quæ commotæ alias iterum ex ſuis detrudunt loculis, & ſic tandem mixtura ſanguinis ac craſis genuina in perturbatam ac confuſam commutatur, quam mixturam motum confuſum ac inordinatum, tum inteſtinum, tum progreſſivum, comitari debere, ex Theſi præcedenti abunde patet.

Ex hiſce unuſquiſque facile nunc intelligere poteſt, ſalinas particulas non amplius aquoſis involvi, neque acidas hamulis oleaginoſis rite tegi, nec tenaces, terreſtres ac graviores à ſpirituoſis ac volatilibus amplius temperari; ſed hiſce partim oppreſſis, partim in auras avolatis, illas præcipites in unum cumulari ac in tubulorum lateribus hærere, ſicque vaſorum obſtructionem ac dilatationem parere, dum acidæ, cuſpi-

 dibus

dibus ſuis jam denudatis, tunicarum texturam (quæ partim conſtat ex nervorum fibris) moleſte afficiunt ac vellicant, ſpirituumque in eas affluxum majorem cauſant, uti & ſanguinis affluxum augent; quibus omnibus (ne extra oleas vager) obſtructio, omnia in motum perniciosiſſimum mutata, ruptio vaſorum, hincque inter eorum tunicas muſculorumque poroſitates ſanguinis effuſio, ac perconſequens, inflammatio hæc ſeu Angina natales ſuas debet.

XV. Nunc ad *Plethoram*, quam internam cauſam pronunciavi, pedes vertamus, quaque ratione ſeſe, parentis inſtar, circa morbum hunc ſiſtat, videamus.

Etenim ſi ſanguis, majora vaſa in Plethoricis diſtendendo, capillaria comprimat, ac humores in his rivulorum rivulis reſtagnare facit, quo fit ut circa Fauces ex Arteriis à Corde majori vi ſanguis in Venas impellatur, quam per Venas ad Cor, tum præviæ viarum & partium diſpoſitiones, ac alium ſtatum humores adſciſci debent; variatur enim eorum mixtura, reſpectu motus, figuræ, ſitus &c. particularum, hinc pori, quibus primo gaudebant magis rectilineis, cujuſcunque fiunt figuræ, diverſæ magnitudinis ac confuſi ordinis, per quos, cum materiæ æthereæ recta trajicere non ſit licitum, particulas aliter commovet ac de loco ſuo perturbat, quæ denuo alias, donec univerſæ ibidem ſubſiſtentes particulæ, ſua harmonia ac craſi ſint privatæ, continua inter ſe pugna ac fricatione acriores ac magis ab oleoſis denudatæ factæ, cuſpidibus ſuis involucra vaſorum pungant, vellicent, ſcindant, ac corrodant, uſque dum extra ſua vaſa inter eorum tunicas ac muſculorum tubulos membranaſque effundatur, avolantibus ſubtilioribus particulis, ibidemque extravaſatus tractu temporis grumeſcit, muſculorum cavitates & poros obſtruit, fibrillas motui dicatas anguſtat, ſpirituum meatus comprimendo, eorum per muſculos transfluxum aliquando quoque multum impedit, ſicque omnia ſymptomata, Anginam Veram concomitantia, producit; atque hac ratione rudi minerva, harum cauſarum rationibus expoſitis, ſymptomata ſeu ſigna diagnoſtica, quibus ſtipatur Angina, explicanda ſuccedunt.

XVI. Hæc ſunt ordinario: Febris continua ſatisque acuta, æſtus inſignis, ſitis magna, dolor Faucium acutus, pulſus ſæpe celerrimus ac concitatiſſimus, tumor ac rubor nunc oculis conſpicuus, nunc in abſcondito latens, reſpiratio difficilis vel impedita, hinc ſtrangulationis metus, linguæ extra os emiſſio, & reſpiratio erecta cervice, vox clan-

goſa

goſa & aliquando etiam nulla, deglutitio impedita, qua potulenta aliquando per os & nares iterum rejiciuntur & alia plura, quæ in omni Angina æque gravia non ſunt, ſed pro quatuor differentiis ſupra citatis, vel mitius, vel gravius affligunt.

XVII. Febris naturam ſequenti modo explico: ſc. cum ſanguinem extravaſatum & in Faucibus ſtagnantem alius ſanguis à Corde per Arterias propulſus tranſit, neceſſario particulæ quædam ſanguinis extravaſati, tranſeuntis ſanguinis alluvione abluuntur & abraduntur, quæ ei mixtæ pergunt moveri ad Cor; illud autem ingreſſæ, & in eo propter diſpoſitionem, & ad effervefcendum aptitudinem, partim effervefcentia ſua, accedente materia ætherea ſeu ſubtili, partim inæqualitate Cor expandunt, & ſua acredine vellicant, quo ſtatim impetuoſior ac copioſior ſpirituum in Cor influxus excitatur (ſicque Cordis fibræ magis convulſive contractæ, fortiter ſanguinem expellunt, ita ut circulationem perturbatam ac acceleratam reddant) qui influxus dein ſanguini, poſt expulſam moleſtiam iſtam & Cordi inimicam materiam, communicatus, varie illum commovet & exagitat, & novæ materiæ inflammabilis & ad effervefcendum aptæ ſubinde in Cor ingreſſu, ſpirituumque in illud influxu continuatis accedentibus, effervefcentiam præternaturalem ac perturbationem inducit; in qua perturbatione vera mihi Febris natura videtur; cum autem ejus cauſa continua ſit; Febris non intermittens, aſt continua ac ſymptomatica dicenda eſt.

XVIII. Motum hunc confuſum ac turbulentum quoque *æſtus* inſignis authorem agnoſco; etenim in celerrimo ac confuſiſſimo particularum inſenſibilium heterogenearum inter ſeſe motu vario conſiſtit, ſimul ſc. concurrente materia ſubtili, hinc varia concuſſio, alliſio ac commotio particularum in ſe invicem, donec omnia confuſiſſime mota, mediantibus nerveis in vaſis & per vaſa contortis fibris, animæ in ſenſorio communi æſtus inſignis ſenſum repræſentant, quem ſæpe *ſitis ſatis intenſa* comitatur; qua particulæ humidæ Fauces irrorantes & humectantes attenuantur, ac in vapores abeunt, relictis particulis quibuſdam in Faucibus fixioribus & ſalinis, quæ acutis ſuis extremitatibus, Fauces vellicando, imaginationem in Cerebro potus ſumendi, ad ſalſedinem iſtam Faucibus moleſtam diluendam excitant.

Motum hunc eundem *Faucium dolorem* gignere cenſeo, quatenus per hunc totius maſſæ unio ſolvitur; hinc acidarum ſalſarumque major fit denudatio (uti in antecedentibus dictum) quæ acres ſe mutuo fricant,

atterunt, uſque dum, tanquam aciculæ, cultelli, vel cunei, ſuis ſpiculis membranarum ac vaſorum fibras, circa Fauces pungentes, vellicantes, ſcindentes, dolorem hunc, id eſt triſtem ſenſationem ac ideam à nimia vellicatione partium nervoſarum, mediante Nervulorum ductu, menti in ſenſorio communi, repræſentant.

Ab eadem vellicatione deducimus *pulſum concitatiſſimum*, quatenus immoderatum & convulſivum in Cordis ac vaſorum fibras ſpirituum animalium influxum cauſant, & hinc talis effectus reſultat.

Vellicatione autem iſta continua ac punctione particularum acriorum ſanguinem extra ſua vaſa in partes membraneas ac carneas effundi debere, neceſſe eſt; quæ extravaſatio, cum influxu novæ materiæ adaugeatur, æquivalenſque receſſus non detur propter perturbationem & particulas terreſtriores ſtagnantes, quæ non facile loco moventur, & quibus maximo adjumento exiles Laryngis Venæ inſerviunt, neceſſario partium extuberantia juſto major, id eſt *Tumor*, exſurgit; qui oculis, quando exteriores, uti Pharyngis vel Laryngis muſculos, occupet, *conſpicuus*, in interioribus, ſi reſideat, *in abſcondito latitat*.

Præ ſanguinis nunc extravaſatione in partes muſculoſas fibræ nimio ſanguine ſcaturientes, mediante expanſione, rarioris fiunt ſuperficiei, & ita per minora interſtitia ſanguis, in exterioribus diſperſus, viſui aliquando noſtro rubrum oſtentat colorem, unde *Rubedinem* explicamus.

XIX. Tumor hic, in præcedentibus à nobis explicitus, nunc Laryngis magis muſculos, nunc iſtos Pharyngis plus afficit.

Primum ſi verum ſit; *reſpirationem difficilem* ab affectis ac tumentibus Laryngis muſculis progenitam ſentio; ita tubam reſpiratoriam coarctantibus, ut aëris in Tracheæ partes extremas, Laryngem nempe, ingreſſum ac egreſſum pro parte impediant; ſicque viam ad Pulmones præcludant, unde fit, uti River. habet Praxi libr. 6. cap. 7: *quod ſæpe* 1. *ore aperto, & non niſi recta Cervice ſpirare; &* 2. *linguam, canum feſſorum inſtar, cogantur exerere, ut ſuffocatione (cujus* 3. *illis continuus metus adeſt) interimantur*; quod in Cynanche maximum locum habet, quibus omnibus aliquando accedit 4. *vox clangoſa aut ſæpe nulla*; vocis enim modulatio, propter aëris ex Trachea egreſſum impeditum, læditur, ita ut vox imperfecta ſeu læſa exoriatur.

Poſterius ſi verum ſit; tunc præ nimia compreſſione iſta ac anguſtatione *deglutitionem deteriorem* reddi clarum exiſtit; hinc aliquando po-

tulenta

tulenta per nares & os iterum rejiciuntur, quatenus ſc. ob plurimas, à retardato ſanguine, obſtructiones, muſculi Linguæ vi alimenta in Oeſophagum propellendi, partim vel totaliter ſint privati; hinc alimenta, ſi iſtos muſculos Faucium attingant, iſti convulſive contrahuntur, ac vi per nares reſiliunt potulenta.

XX. Neceſſariis ac maxime notabilibus hujus Morbi ſymptomatibus ſic traditis ac prælibatis, ad Prognoſin hujus affectus calamum revoco.

Acutiſſimus hic ſane eſt morbus, ac proinde periculoſus, tum propter ſuffocationis metum, tum Febrim continuam acutam, ita ut de eventu quid certi determinari nequeat. Aph. 19. ſect. 2. ibi enim dicit Hipp. *acutorum morborum non omnino tutæ ſunt prædictiones neque Mortis, neque Salutis.* Fernelius teſtatur itidem libr. 5. Path. cap. 9. ſe octodecim horarum ſpatio Angina correptum è medio ſublatum ſæpe vidiſſe, conſtante mente, integrisque (uti dicit) ſenſibus; & teſte Celſo libr. 4. cap. 4. & pluribus: peſtiferum acutumque malum exiſtit, quod celeriter ad finem properat.

In genere tamen verum eſt; quantum minus tumoris, tantum magis periculi adeſt, & periculoſiſſima omnium exiſtit, quæ nullum tumorem habet manifeſtum; ut variis ex locis Hipp. colligere eſt, & inter alia ex Aph. 34. ſect. 4. *ſi à Febre occupato, tumore non exiſtente in Faucibus, ſuffocatio derepente contingat, Lætbale eſt.*

Ingens autem Ardor, ſitis magna, vox clangoſa, & ſæpe nulla, peſſima exiſtunt ſigna.

XXI. Ratione vero iſtius quadruplicis differentiæ, Theſi 6. enarratæ, alia Angina majus, alia minus portendit periculum.

Κυνάγχη itaque eſt omnium periculoſiſſima, ubi muſculi Laryngis interni inflammati omni videntur carere tumore, de qua Hipp. 4. Progn. 16. *Anginæ graviſſimæ ſunt, & interficiunt celeriter quæcunque nihil conſpicuum faciunt in Faucibus, neque Cervice; plurimum vero dolorem inferunt, atque Orthopnoeam;* hæc enim eodem die, ſecundo, tertio, quarto ſtrangulat.

Altera, ſc. παρακυνάγχη, quæ ſimul in Faucibus & Cervice tumorem, dolorem, & ruborem excitat, haud ita periculoſa, ſed diuturnior exiſtit; non tamen diem decimumquartum excedens, ſecundum Hipp. Aph. 23. Sect. 2. *Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur.*

Συνάγχη tantum periculum non habet ac κυνάγχη; cum tumor magis in con-

conſpectum veniat, cui Remedia applicari poſſunt; quibus accedit, quod hac in ſpecie plus lædatur deglutitio quam reſpiratio; Homo enim ſine cibis & potu aliquantis pervivere poteſt, non vero ſine reſpiratione.

Quarta vero ſpecies παρασυνάγχη ſc. omnium cenſetur leviſſima (non tamen levem Anginam, niſi diverſo reſpectu, propter ſymptomatum gravitatem dixerim) eſt, quæ extrorſum tumet (illa enim externa medicamenta facilius admittit, & Inflammatio longius à Gutture abeſt) juxta Hipp. Aph. 37. Sect. 6. & 49. Sect. 7. plura qui vult ſigna Prognoſtica, adeat Hippocratem, Gallenum, Sennertum &c. ego vero, brevitati ſtudens, hiſce ſuperſedeo.

XXII. Eventus modus autem, ſi non reſolvatur & in tempore curetur, exiſtit, vel per Puris expuitionem rupto abſceſſu, vel per ejus converſionem ad, vel in Pulmones. vide Aph. 10. Sect. 5.

XXIII. Poſtquam pro ingenii mei viribus, in quo poſita ſit hujus morbi natura, demonſtravi, quas partes primario hic affectus afficiat, quæ cauſa illum produxerit, quæque graviora illius ſymptomata effecerint, poſtquam quis exſpectandus ſit ex iis, quæ apparent, eventus expoſuimus, non admodum difficile videtur ratione aſſequi, quid in methodica hujus Morbi curatione agendum ſit; hanc autem ſuppeditant indicationes (eædem in omnibus Inflammationibus obſervandæ, habita tantum partis affectæ ratione) quæ, ut per reſolutionis viam, quæ brevior ac ſecurior ſuppurationis via exiſtit, ducere poſſit naturam Medicus, ſequentes exoriuntur.

Primo vaſa laxanda & emollienda ſunt, ut, quod iis impactum hæret, facilius permeare poſſit.

Secundo materiæ ſtagnanti & obſtruenti fluiditas concilianda, ut circulo ſanguinis reſtitui poſſit.

Tertio impetus ſanguinis Arterioſi à tergó irruentis minuendus & cohibendus.

Hoc enim modo non tantum ad cauſam Proëgumenam; verum etiam ad cauſas Aphormais reſpicimus.

XXIV. Remedia autem haſce Indicationes abſolventia quæque ex triplici fonte utplurimum, nimirum: Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico deſumi ſolent, conſtituunt imminutio liquidorum in vaſis contentorum, ut & Medicamenta Alterantia, uti Reſolventia, Diſcutientia, Digerentia &c. tum interna, tum externa.

XXV. Imminutionem liquidorum, qua tribus hiſce Indicationibus

pri-

primario & ſimul ſatisfit, tentare Medici variis modis, nempe: Venæ ſectione, Purgantibus, Vomitoriis, Diaphoreticis; itaque de his evacuandi modis ſeorſim agendum & examinandum an, & quomodo conveniant in Angina Vera.

XXVI. Venæſectio tribus noſtris Indicationibus ſatisfacit; vaſa enim emollit & laxat, quatenus imminuta liquidorum copia diſtenſio nimia Vaſorum minuitur.

Materiæ ſtagnanti & obſtruenti fluiditatem conciliat, quia, vaſis laxatis & depletis, eorumque compreſſione in ſe invicem ſublata, neceſſario liquida in iis contenta rarefiunt.

Quia denique Medicamentis Emollientibus & Attenuantibus locum facit, impetum ſanguinis Arterioſi à tergo irruentis cohibet.

Conſentiunt prærerea plerique Medici circa neceſſitatem Venæſectionis, qui uno ore laudant eam, propter emolumentum maximum, quod adfert; quamprimum itaque Medicus ad Angina laborantem vocatus fuerit, quacunque diei hora ob imminens exitium, ſtatim Phlebotomiam largam inſtituat, imo in corpore non Plethorico ad tantam una vice quantitatem educendam, quantam circumſtantiæ, ut gradus Morbi, vires, ætas, & temperamentum Ægri determinant; ſed licet conſentiant Medici circa neceſſitatem Venæſectionis; diſputant tamen de loco, in quo V. S. fit.

XXVII. Quæritur itaque num ſecundum regulas Revulſionis, Averſionis, ac Derivationis inſtituenda ſit; quantum ad me, ego reſpondeo nullo modo mihi parum intereſſe, uti quidam volunt, in qua parte Vena ſecetur; ſed præterquam, quod quantitas ſufficiens iteratis vicibus pro neceſſitate educatur, ſimul reſpiciendum eſſe ad ſanguinis majorem affluxum revellendum, quod confirmare videtur non tantum ſanguinis inventa circulatio, verum etiam experientia quotidiana à multis Medicis hodiernis habita, inter quos *Viro Celeberrimo, ac in Praxi Medica longe Præclaro Profeſſori Med. in Ultrajectina Academia ordinario JACOBO VALLAN Præceptori meo, ac in Arte Medica Ductori facillimo*, jure merito locum præcipuum attribui debere, teſtatur magni Viri, præ aliis, experientia multoties habita, qua optimo cum ſucceſſu, & magno cum Patientis levamine, ac ſæpe eodem die, urgente neceſſitate, ac præſertim in Juvenibus & Plethoricis, has tres Venæſectiones inſtitutas fuiſſe comperiit; ſed ne à ſcopi mei limitibus nimium aberraſſe videar; famoſas hujus Phlebotomiæ ſpecies explicare aggrediar.

XXVIII. Prima itaque Venæſectio, quæ inſtituitur, ſit *Revulſoria*, cujus requiſita ſequentia ſunt:

1. Ut inſtituatur in loco remotiſſimo, i. e. in trunco contrario ſc. in pede; remotius enim eſt in trunco contrario, quam in latere ejuſdem trunci contrario.
2. Ut obſervetur rectitudo, i. e. in pede lateris affecti; ſic ſi dextrum magis laboret, dexter pes eligendus; ſiniſtrum vero ſi plus afficiatur, ſiniſtri pedis Vena eſt tundenda.

Hiſce nunc mediantibus requiſitis ſanguis, ad partem affectam nimis impetuoſe affluens, ad partes inferiores revellitur, ac copia peccans diminuitur; ita ut hæc Venæſectio, tum ad ſanguinis impetum ſedandum, ac ipſius copiam tollendam, ſpectet.

Quod autem ſanguis hac mediante Venæſectione à parte affecta ad alias revellatur, minime fuget illum, qui liquidorum motum natura ſua ad illa loca, ubi minor inveniatur reſiſtentia, terminari animadvertit; etenim in pede, ſi Vena ſecetur, facillime ſine ulla reſiſtentia illius foramen arte factum ſanguinem effluere ſinit, cum è contrario in parte affecta obſtructio, anguſtatio, atque adeo reſiſtentia reperiatur, ideoque plus ſanguinis per truncum Arteriæ Aörtæ deſcendentis ad foramen arte factum deferri, quam per ipſius truncum aſcendentem ad partem affectam terminari, facile conceptu exiſtit, atque adeo hac ſpecie Venæ ſectionis minorem ad partem affectam affluxum fieri, ſicque Inflammationem non augeri, conſtat.

XXIX. Impetui ſic ſatisfacto, aſt copia nondum ſublata, quod dolor ac ardor indicant, ita ut adhuc ſuffocationis metus adſit, poſt horam unam aut alteram (ut interim vires recolligat Æger, quarum ratio ſemper eſt habenda) *Averſoria* inſtituatur V. S., ſcilicet in brachio, non præciſe dextro, ſed in ejuſdem lateris affecti, ut ſanguis copia adhuc ſua peccans jam jam in Fauces influxurus aliquomodo retardetur, ac ad loca vicina deducatur, ut ita prompte ipſius copia evacuari poſſit, ſicque ejus influxus copioſior impediatur.

Cum jam duæ dictæ Venæ ſectiones ſint peractæ, ac ſic ex voto impetui ac copiæ Medicus ſatisfecit, attamen ardor & rubor maneant, imo augeantur, vireſque ſi conſtent, & Æger ſit Plethoricus, ut reſiduus ſanguis, in Faucibus ſtagnans ac hærens, porro educatur; poteſt eodem aliquando die Venæ ſectio *Derivatoria*, ſectis ſc. Venis Raninis, inſtitui; aſt notandum, peſſime Chirurgos procedere, qui prima vice Venas

ſub

ſub lingua ſecant, cum hoc modo major ad partem affectam fiat affluxus, qui ſecundum noſtram tertiam Indicationem eſt minuendus Theſi 13. recenſitam.

XXX. Quæritur nunc num in mulieribus prægnantibus ac menſtruis laborantibus V. S. ſit inſtituenda? R. quo ad primum; concedimus in illis Venæ ſectionem (ſed hac cum cautela, ut minor ſanguinis copia detrahatur, & ad vires quoque reſpiciatur) periclitatur alias cum fætu Mater, & extremis malis cum Hipp. Aph. 6. Sect. 1. & Celſo. extrema Remedia eſſe adhibenda, putamus.

Quoad ſecundum; R. omnino celebrari poſſe, præſertim ſi morbus ſit acutus & Plethora magna, dummodo fluxus menſtruus tantus non ſit, ut quantitatem ſanguinis educendam exſuperet.

In maligna vero, præſertim ſi malignitas ſit peſtilentialis, nullo modo convenit, uti neque in Spuria.

XXXI. Quoad *Purgantia* nunc; illa quidem liquidorum copiam quoque imminuunt, ſed locum nullum in Febribus acutis & morbis vere inflammatoriis, præſertim circa eorum initium, habere poſſunt.

Purgantia enim agunt, partim in primas vias, quatenus vellicant, ac glandulas inteſtinales ſtimulant, unde per eas major liquidi ſecretio, hinc intra vaſa pars craſſior, obſtructiones producere apta, remanet; partim ad maſſam ſanguineam delata, humores ſolvunt, irritantque, & canales, per quos deferuntur, vellicant; hinc ſp. animalium in iſtos major influxus ſequitur, quem tunc neceſſario major tenſio ac irritatio ſolidorum, motus major ac impetus fluidorum ad partem affectam concomitantur; ſic ut Inflammatio augeatur, unde, quomodo à Purgantibus in Angina aliquando exoriantur Febris, ut & dolores acutiſſimi ac omnium ſymptomatum exacerbatio, facile intelligitur.

XXXII. Non tantum Purgantibus in initio Anginæ quidam Medici fuere uſi; ſed & etiam *Vomitoria* exhibuere quidam, uti *Hartmannus* ac *Rulandus*, qui poſterior hunc in finem aquam ſuam benedict. laudat; ſed re vera plus nocumenti quam emolumenti Vomitoria adferre ſymptomatum exacerbatio ſufficienter probat. In vomitu enim omnia vaſa Abdominis comprimuntur propter muſculorum contractiones ingentes, & ſingulariter quidem Aörtæ truncus à Diaphragmatis expanſionibus ita conſtringitur, ut, denegato quodammodo ſanguini tranſitu ad partes ſub Diaphragmate locatas, major fiat ſanguinis, in vaſis ſupra Diaphragma ſitis, aggeſtio; hinc neceſſario, qui alias in Aörtam deſcendentem ſan-

guis influxurus eſſet, jam ad partes ſuperiores per Carotides Arterias plus aſcendere coactus eſt; ſicque ad partem affectam, ſc. Fauces, majorem cauſare affluxum, ita ut Inflammatio deterior reddatur. Patet inſuper hujus aſcenſus veritas manifeſto ex faciei rubedine ingenti Capitiſque dolore gravativo vomitum excipientibus; præterea muſculorum Faucium vaſa, ſanguine turgida, motu iſto vehementi convulſivo ac contractionibus validis comprimuntur & conſtringuntur, adeo ut ſanguini, in illis contento, nova iterum obſtruendi ac ſtagnandi occaſio ſuppeditetur; hinc omnium ſymptomatum exacerbatio, imo aliquando in ipſa Vomitorii operatione ſuffocatio.

Ex hactenus dictis nullo modo concludendnm eſt me ex toto Vomitoria rejeciſſe; cum aliquando uſum præſtare valeant, nempe ſub finem Morbi ſuppurationi proximi ad abſceſſum ſcilicet rumpendum, & tumor profunde ſi ſitus ſit, ac Pharynx vitii particeps ſit; ſed fiant omnia caute, & virium ratio quam maxime habeatur, ſemper enim eſt periculoſum, cum Homines, mediante Vomitorii operatione, vitam cum morte commutare poſſent.

XXXIII. Licet Purgantia, proprie dicta non conveniant; magno tamen cnm commodo *Clyſteres* diluentes ac emollientes uſurpari experientia docet, præſertim alvus ſi valde adſtricta ſit, quod utplurimum in Morbis inflammatoriis contingit, non tantum enim ex Clyſterum uſu nil mali timendum eſt, ſed è contra commoda ſequentia exſpectanda ſunt.

1. Enim fæces induratæ diluuntur ac emolliuntur, unde facilius excernuntur; alvo vero exiſtente libera, minor colluviei cruditatum in primis viis datur occaſio, quæ alias huic morbo ſemper noxia exiſtit.
2. Emolliuntur fibræ inteſtinorum, quibus relaxatis non tantum facilius particulæ craſſiores è M. S. per inteſtinorum glandulas excernnntur, ſed præterea iſta relaxatio toti ſyſtemati Nervoſo communicata ad partem affectam ſeſe extendere poteſt.

Itaque poſt primam V. S. ſtatim Clyſter emolliens injiciatur (qui pro adſtrictionis alvi pertinacia repetitur) ex decocto hordei ſeu cereviſia recenti cum melle roſaceo, ſale comm. &c.

XXXIV. Hiſce peractis, an & quomodo *Diaphoretica* hic conveniant, videamus.

Validiora eorum plane rejicienda eſſe Cenſeo; ex uſu enim calidiorum ſudoriferorum vellicantur, ac ſolidorum fibræ tenduntur, fluidaque

que in æſtum majorem, fervorem ac motum coguntur, unde in vaſa Capillaria particulæ craſſiores adiguntur; præterea, per Diaphoreſin parte liquidiore educta, reliqua maſſa fit craſſior, & ob defectum vehiculi diluentis acrimonia ſi adſit, fit acrior; hinc in parte affecta obſtructio fit major ac anſa Inflammationi ſuppeditatur.

Itaque Diaphoretiorum calidiorum, *quatenus ſunt Evacuantia*, uſum improbo; in quantum vero *Alterantium* nomine veniunt, quam maxime laudo; ſanguinis enim obſtructionem ſolvunt, vel ipſius moleculas tenuibus ſuis particulis dividendo, vel acrimoniam acidam obtundendo, atque ita coagulationis cauſam tollendo, ſummo cum commodo exhibentur; ſint itaque mitiora ac temperatiora, vel per ſe, vel per alia medicamenta.

XXXV. Ex horum numero itaque optime Medicamenta, quæ ſimul Febri ac fermentationi reſiſtunt, diuque in ſanguine manent; *Pertinacia* dicta, uſui veniunt; uti ſunt oc.) cancr., teſtæ conchar., C. C., antimon. diaphoret., corall. &c.

Quod autem attinet ad præparationes horum teſtaceorum cum acidis, ſub nomine Magiſterii notas, plane ab illis abſtinemus.

Præter Mineralia hæc ac Terreſtria Pythologia ſua Medicamenta quoque ſuppeditat, uti *Emollientia*, *Reſolventia*, *Diſcutientia*, *Humectantia*, *Refrigerantia*, quæ hoc in Malo utramque paginam faciunt.

Talia ſunt Sambucus, ut & omnia ex eo egregia ſunt, uti Syrup. ſeu Rob, flores, fungus, ſeu auriculæ judæ, imo ipſa ſambuci aqua; Taraxicum, ſcabioſa, hedera terreſtr., violaria, flor. roſar. rubr., hyſſopus, veron., capill. vener., flores Chamomill, melilot, ſcorſonera, & ſimilia.

Inter ſalia autem *Lixivioſa* dicta, conveniunt, ut & ſal nitri, Prunell. &c. Ex hiſce omnibus variæ, juxta Medici conceptum, formulæ fieri poſſunt.

XXXVI. Sed ne Medicamentis internis diutius immorer; aliquid de externis, Topicis ſc., dicere fert mea Theſis; horum multa Pharmacia ſubminiſtrat, qualia ſunt *Gargariſmata*, *Cataplaſmata*, *Emplaſtra* &c.

Recte interim *Gargariſmata*, additis iis, quæ reſolutionem ac diſcuſſionem levi cum adſtrictione cauſant, ut ad partem affectam affluxus major impediatur, adhibentur.

In principio enim fortiter Gargariſmata repellentia præſcribere nullo modo convenit; cum poros, per quos tranſpiratio inſenſibilis promo-

venda eſt, nimium conſtringant, atque adeo ad ſuppurationem Fauces diſponant, ac ſpirandi difficultatem hoc modo augeant.

Notandum autem de Gargariſmatibus; illa plus, ſi tumor Pharyngis muſculos occupans in conſpectum veniat, præſtare, quam ſi in abſcondito circa Laryngis muſculos, & quidem internos, hæreat.

Præterea, animadvertendum exiſtit illa Gargariſatione, ſeu vulgari modo non eſſe uſurpanda (eo enim majoribus punctionibus vexaretur Patiens) ſed ita in ore detinenda eſſe, Capite ab uno latere in aliud inclinato, ut totas Fauces, ſine agitatione ſenſibili, colluat.

Confici autem poſſunt ex herbis ſupradictis, diſcutiendi ac reſolvendi vi præditis, uti Veronica, hyſſopo, hedera terreſtr., violaria, auriculis jud., fol. taraxici, flor. roſar. rubr., ſambuci &c. decoctis in aq. comm., vel cereviſia tenui; ſub finem addendo album græcum, vel nidus hirundinum, (quæ duo ob ſuum ſal volatile optime diſcutiunt) Colaturæ ſacchar. ſaturn., ſal prunell., nitrumve depuratum, item ſyrup. ſambuci, vel mel roſac., ſuperaddendo.

Ardor Anginæ in principio ſi ſatis vehemens exiſtat, conducit ex decocto raparum, ſale prunell., ſyrup. ſambuc., Gargariſma.

Illud vero ex aq. nivis, ſi haberi poſſet, vel hordei, vel ſimplici, aut aq. caprifolii cum tinctur.: lythargirii Gargariſma quoque minime ſpernendum, exiſtit.

Conveniunt & *Cataplaſmata Diſcutientia* externe applicata ex thymo, pulegio, calamintha, hyſſopo, veronica, hedera terreſtr., flor. chamomill., meliloth., ſambuci, ſem. fæniculi, quibus ab omnibus fere Auथoribus tanquam ſpecifica nidus hirundinum ac album græcum cum ol. amygdalar. dulc., vel Chamomill. adduntur, ex quibus variæ, pro placito Medici, formulæ parari poſſunt.

Conducunt præterea varia *Emplaſtra*, uti de Mucilagin., Dyachylon cum gummis, item Emplaſtr. Melilot., quibus pro varia Medici intentione addantur ol. Chamomill., Lil. alb., etiam pars quædam Cerati de cumino.

XXXVII. Si hiſce, ſanguine extravaſato, concreto, coagulato, & quaſi immobili, malum non cedat; ſed ad ſuppurationem vergat, *Suppurantia* hunc in finem Medicamenta adhibenda ſunt.

Talia ſunt Cataplaſmata ex Rad. Alth., Lil. alb., liquirit., fol. Malvæ, nidu hirundinis, vel alb. græc., ficubus, cæpis ſub cinere toſtis, ſem. lini, fænu græc., axungia, butyro, vitell. ovor., ol. chamomill.,

croco

croco orientali &c. ex quibus, ſecundum Artem, diverſas pro re nata ſibi concinnare Medicus formulas poteſt.

Intrinſecus autem pro Gargariſmate, decocto aliquo itidem tentanda eſt ſuppuratio; uti decocto ficuum, paſſularum, liquirit., addita Malva ac violaria.

XXXVIII. Facta nunc ſuppuratione, quæ, ubi nec ſentiri nec videri poteſt, ex ſymptomatum Febrim comitantium remiſſione dignoſcitur (nam reliqua, quæ tumorem conſequuntur, ſymptomata hoc tempore, veluti reſpiratio, deglutitio, loquela &c. ſunt graviſſima) Abſceſſus, Apertio inſtituenda eſt (ſæpe etiam ante maturitatem, ſuffocationis metu præſente, non exſpectandum, uſque dum maturuerit, & melius eſt in tempore aperire, quam exſpectare donec ultro rumpatur, ſicque Pus ad Pectus vel Pulmones delabatur) vel Vomitorio, ex aq. benedict. Rulandi (ſi deglutire poſſit æger) vel etiam periti Chirurgi manu ſcalpello, aut alio inſtrumento inſtructa.

Abſceſſu nunc rupto, Capite pronus ſit æger, ne Pus in Pulmones irruat.

Ulceris materia, ſi purulenta nunc exiſtat, abſtergeatur, ac decocto hordei cum melle roſaceo mundificetur, & poſtmodum Ulcus conſolidetur, & cicatrice obducatur, idque Detergentibus & Conſolidantibus, etiam Adſtringentibus, uti bolo armen., ſang. dracon. &c. intercedente Faucium frequenti aqua aluminoſa collutione.

XXXIX. Si autem reſpiratio in tantum abolita ſit, ut ſuffocationis periculum immineat, & præ foribus quaſi mors exiſtat; ad *Laryngotomiam* confugiendum eſt, verum ad hanc operationem, & quæ, niſi à perito dextroque Chirurgo fiat, periculo non caret, haud facile deveniendum, niſi omnia illa Remedia incaſſum adhibita fuere, ad extremos enim Morbos cum Hipp. extrema Remed. applicanda eſſe exiſtimo. Aph. 6. ſect. 1.

Videantur interim hac de operatione *Paræus*, *Hildanus*, *F. ab Aquapendente* operat. Chirurg. part. 1. cap. 44. *Sennertus* inſtitut. Med. libr. 5. part. 1. ſect. 2. cap. 7. aliique Chirurgiæ ſcriptores.

XL. Reſtat adhuc *Diæta* nobis explicanda in qua eligatur:

Aër temperatus ac purus.

Cibus ac *Potus* ſint tenues (uti in aliis morbis acutis, juxta Aph. Hipp. 8. ſect. 1.) facilis digeſtionis, humectantes ac refrigerantes, uti ſunt carnium juſcula, hordeacea ac avenacea, herbæ refrigerantes &c.

Pro ſiti autem ſequens julapium è lacte ebutyrato concinnatum, prodeſſe poteſt: ſumantur itaque poma acidiuſcula in partes aliquot conſciſſa, ut & fruſta panis majuſcula, illaque ſimul diluantur in lacte ebutyrato ac coquantur; poſt coctionem autem fiat Colatura per linteum tenue, & illud lac ita tenue exhibeatur cum tantillo ſacchari, cui vinum Rhen. addatur; julapium tuncque erit optime refrigerans, & corroborans.

Omnia acria autem ex oppoſito & nimis calida, utpote ſanguinem, humores ac ſpiritus nimium commovere, atque adeo Febrim augere idonea, vitanda ſunt.

Vigiliæ autem, uti & *motus* ſint moderatiores.

Quæ excernenda ſunt, *ne retineantur*; hinc alvus natura, vel arte ſemper reſpondeat.

Animi autem *paſſiones*, ut quam maxime noxiæ, hic vitentur.

Atque hæc de Angina, plura qui cupit ſcire, cum materia multa adhuc exigeat, adeat Authorum ſcripta, quæ copioſe in lucem edita ſunt:

Nam dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

A N-

ANNEXA.

I.

Medicinæ objectum eſt corpus humanum, illudque vivens.

II.

Finis Medicinæ recte ſtatuitur Sanitas; & nullo modo mederi ſive curare.

III.

Ductu thoracico vel obſtructo vel rupto, homo ut moriatur neceſſe eſt.

IV.

Sanguificationis organum male Veteres hepar eſſe dixerunt.

V.

Illa enim nulli ſoli viſceri præciſe eſt adſcribenda.

V I.

A ſanguine Arterioſo in hepate Bilis non ſecernitur; verum à ſanguine per Portarum venam allato.

V I I.

Sanguinis Venoſi ablatio i. e. V. S. magni in Medicina uſus eſt.

V I I I.

Illa tamen in omni Apoplexia non convenit.

I X.

Sed quidem in Ictero abſque obſtructione.

X.

Uti & in Pleuritide, quæ recte in aſcendentem & deſcendentem dividitur.

F I N I S.

AD

Præſtantiſſimum Doctiſſimumque

JUVENEM

JACOBUM à NOKKEN,

Cum de periculoſiſſimo ANGINÆ morbo publice diſputaret.

NOKKENI, cujus mihi fama & nomen amari
Cœperunt dudum, facies nunc denique viſa
Aggeſſit curas, calidumque intendit amorem;
At comis, doctoque fluens puriſſimus ore
Sermo, pudorque decens, faciliſque per omnia candor,
Et probitas, animuſque boni & ſectator honeſti,
Me rapuere mihi, facilis ſeu gratia morum.
Neſcit ſanctus amor ſcindi; verum unus & idem
Complures ſolida gaudet virtute beare.
Cuncta GULÆQUE mala ut poſſis depellere, diſce
NOKKENI varios etiam depellere morbos.
Hæc tu poſce Deum ſacras proſtratus ad aras,
Hæc audi, Pater omnipotens: fruſtra omnia fruſtra
Tentat Homo, viduatus ope auxiliantis Olympi;
Nec quicquam pote ſe ſolo, ſine Numine, fretus.
Namque potes, curæque tibi Mortalia, & omnis
Vita Hominum eſt, juſſuque tuo prodimus in oras
Luminis, & fragili rurſum decedimus ævo,
Nilque agimus ſine ſponte tua. Te ſtabo tenente,
Te Duce perrumpam, ſuperans quæ adverſa minantur

Omnia, dum tecum ingrediar radiantis Olympi
Atria, & æternos detur celebrare triumphos.
Accipe & hæc, quæ læta parens tibi munera tellus
Hactenus ignotas Ægris Mortalibus herbas
Submittit, novus unde vigor, novus uſque reſurgat
Frontis honos, redeantque exhauſtæ in priſtina vires.
Salve Heros, ſalve ô noſtris Sol addite terris,
Conſilioque bonus, rebuſque labantibus adſis;
Namque tuæ ſemper laudes, doctique manebunt
Ingenii monumenta, nec ulla redarguet ætas.
Acre ſed inprimis ſtudium pietatis, & almæ
Juſtitiæ, paciſque bonæ ſub pectore regnet.
Pectore ſis trepido, nimium nec lumina tollas:
Detrahit in terram faſtus. Spes tollit ad Aſtra.
Hoc animo fuerit qui præditus, exiget ævum
Hic tutum & placidum, meliorique agmine ſeptus
Poſtea, diſcuſſa fragilis caligine vitæ,
Æternum ſuperas tendet victurus ad Arces.

CORN. JOANN. LAMBERGEN
V. D. M.

OP DEN
ZEGEPRALENDEN GENEESHEER
den voortreffelyken HERE
JACOBUS à NOKKEN.

Triomf! huyl Atropos, Heer Nokken zal 't u klaren;
En gy *keelzieken*, door veel lyden naaſt de doon
Gerekend, regt u op, verhef een blyden toon,
Dit 's den Geneesheer die uw leven zal bewaren.

Wat door Hippocrates voor honderden van jaren,
Door Podalier Vallan, door Leusden zynen Soon,
Of Paracelsus, of Galeen wierd aangeboon,
Bevat zyn ſchrander breyn, daar is hy in ervaren.

Van 't Ooſten tot het Weſt, eerlange zal de Faam
Den vreemdeling u lof trompetten, en uw naam
Met grote lett'ren op de Stargewelven ſchryven.

Terwyl gy onder ons, de *keelpyn* doend' in ban,
Door uw ervarentheyd gegroet zyt voor den Man
Wiens kennis word geroemt door honderden bedryven.

GERRIT DE ROY, J. U. D.